

Ms

dominica

in octava

pasche tit

Ms



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

DL 7.

^W
Ingressus
WITEBERGAM

ILLVSTRISSIMI PRINCE-
PIS AC DOMINI, DOMINI FRIDE-
RICI GVLIELMI, DVCIS SAXONIAE, &c. Admi-
nistratorisq; Ducatus Septemviralis, accipiendo
Homagio adornatus. A.D. IV.
Non. Martij.

Et carmine heroico celebratus


ab
ALBERTO VOITO BORVSSO
Poëtica Professore.




WITEBERGAE
Excusus typis Matthæi VVelaci.
ANNO q̄b. lb. XCII.



Thema coeli, cuius in sequenti
Carmine fit mentio.



 *Lux Teutonia FRIDERICE VILHELME! tuaq̄
Dux ô Saxonia! spes, ô, spes altera RVTÆ!*

Qua tanta tenuere mora? quonam, Inclute Princeps!

*E gremio patria, aut potius quibus ætheris oris,
Indignante polo, & frustra retinentibus astris
Expectate venis? ut te post vota tuorum:*

*Post crebros gemitus, post tot suspiria ab imo
Pectore rupta super damno pietatis & Artis:*

*Vt te post tristes obitus, post mæsta parentis
CHRISTIANI, patriæ magni sanctiq̄ Parentis,*

*Funera: post varios urbisq̄, hominumq̄ labores:
Post subitos fati motus vatumq̄ tumultus:*

*Squallore, & nigro luctu, lacrumisq̄ sepulti
Accipimus tandem optatum, vultusq̄ beatos*

*Aspicimus, celsosq̄ auidi pendemus ab ore:
Dum coniuratis firmantes mutua dextris*

*Fœdera, Diuinos Domino cumulamus honores:
Et toto gratos sentimus pectore motus:*

Ac velut in vitam post fata redire videmur.

*Non tàm, qui crepera carpit sub nocte viator
Fessus iter, ventosq̄ diu perpeffus & imbreis,*

*Ignarusq̄ via vitæq̄ incertus, & ex spes,
Exultat medio in luco, si forte virum quem*

Conspexisse datur, qui lampada præeat almam,

Edoceatq; viam & comitem se iungat amicum:
Non ita letifico conspirant atria plausu,
Cum Deus affulget miseris, quem machina caelo
Ostendit scenæ, cum res humana labascit:
Non sibi sic caro soboles spoliata Parente,
Non sibi sic caro matrona orbata marito,
Hunc illumve aliis reducem gratatur ob oris:
Nec tali nauas decumanis fluctibus actos
Gaudia pertentant sensu, aut cum fulgure amico
Tyndaridæ apparent: aut cum pleno ostia velo
Salua phalanx subit et patrio stant littore puppes:
Quali hodie puppemq; tuam, pubemq; tuorum
Laticia fremere ipse vides (licet atra recentis
Signa gerant luctus, & adhuc sub pectore Diuus
CHRISTI ADESVIUAL) dum tu dum missus Olympo
Ingredieris. Turba, ecce, ruunt, pueri, atq; puella,
Grandæiq; senes, iuuenes matrèsq; marèsq;
Ecce meant peditum præmissi ex urbe manipuli,
Hic gladio fidens, sublustri hic arduus hasta,
Hic humeros firmòq; instratus pectora ferro,
Hic flamma cannàq; tonans plumbòq; volucris
Fulminat, ac rutilo subtextit puluere cælum.
Immixta Marti Charites dulcèisq; Camæna
Sese una effundunt certatim, aditusq; coronant,
Et tibi in occursum portis bipantibus adsunt.

Jamq;

Iamq; ades, & Diuo cum Fratre ac coniuge Diua
Magnorumq; simul procerum comitante caterua,
Senis vectus equis tectusq; satellite fido
Ingredere, mediamq; subis celsissimus urbem,
Ingredere, gentemq; tenes mentemq; tuorum,
Expleri ut nequeant, exardescantq; tuendo
Os humerosq; DEO similem, & per munia Diuum.
Qualis, ubi mundo se astris comitantibus infert
Hesperus, & roseo cælum ac terram ore serenat,
Insomnes pernox oculos animosque moratur.

Iamque ARCEM, (prono qua sol petit æquora curru,
Quaque pater veteres Albis mutavit arenas)
Ascendis magna virtutum luce coruscus
Et meritis prestans: quales Capitolia quondam
Romulidum ascendere duces, quos turba triumpho
Cantabant auroque graves, lauroq; superbos.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine tecti
Interioris agit sese obuius ordine RECTOR
Leucoridum, atque una Medicina gloria Phœbus:
Quem pia Religio, sacra quem Themis, atque Hygia
Insequitur stipans: simul & comitatus aguntur
Albiaci patres ludi, & schola docta sophorum.
Tâm Natura parens: Stellis que ardentibus apta
Vranie: & Dea gesta virum per secula condens:
Quam Suada & triplicis facunda potentia lingua:
Tum Logice: & Mores formans, viteque Magistra:

Describensque orbem radio: ac contempta Poësis:
Quæ miro inter se conspirant flamine, & aureo
Stamine, iuncto operas obeunt per mutua passu.

Parte alia proceres urbis prudensque SENATUS,
Consul, & exconsul, Prætor, totumque tribunal,
Iudex, assessor, præfecti, ædilis, & ordo
Patricius, Censor, manceps, plebisq; Tribuni,
Et vulgi ipsa medulla, quater denumq; virum vis,
Ambrosiâ pascendi homines cerebroq; Mineruæ:
Omnes atrati pullis in vestibus, omnes
Tegmine vittato capitis stant ordine longo:
Vertice stant nudo, nudoq; sub ætheris axe
Ingressum excipiunt, & flexo poplite adorant.

O! quæ nunc facies urbis? qui ve ætheris alti
Consensus? undæ conspirant, terra, polusq;
In fasces FRIDERICE tuos GVLIELME: & honorem
Gratantes quasi mutuiter se vincere certant.

Hactenus undarum genitor, Sala, Albus, Elister
Fleuerunt obitus Domini, Patriaq; parentem
Planxere, insolito tollentes murmure fluctus:
Qui tot fata ducum, tot tristia funera secum
Imperii procerum tantillo tempore traxit:
Occidit & medio ducenda tramite vita,
Occidit (heu!) fulmen Rheni, culmenq; virorum,
Occidit (heu!) JANVS CASIMIRVS, quo prior alter

Nec

Nec virtute fuit, nec sumtis fortior armis.
Heu Pietas! heu sancta Fides! inuicta q³ bello
Dextera! heu patria iactura miserrima rerum!
Non illi sese non quisquam impune tulisset
Obuius irato: seu iam pedes iret in hostem,
Seu pernicious equi hauriret calcariibus armos.
Nunc cælo viuens superis conuiuia mensis
Ducit, qua citharæ cantus, qua gaudia degunt:
Qua pax leta habitat nullis obnoxia curis,
Qua nulla insidia non Martia classica possunt,
Non rixæ aut cædes vitam turbare beatam.

Occidit an etiam IANVS FRIDERICVS, ad Istrum
(Heu sortem indignam!) summotus? ceu vaga sparsit
FAMA Malum quo non aliud fallacius ullum.
Num verò, num viuit adhuc & vescitur aura?
Viuit (io!) viuit: viuatq³ perennis in æuum:
Viuat (io!) nectarq³ bibat super æthera sero,
Saluus & heroam PROLEM & patria arua reuisat.

Ergo etiam in pluuias visus fletumq³ resolui
Et tandem lacrimas alibi fudisse cruentas
Æther ipse, minusq³ fuit tractabile cælum.
Quin etiam percussa, suum & testata dolorem
Terra gemens, vastoq³ tremens se rupit hiatus:
Tum pater horrendo perfregit fulmine nubes:
Sauaq³ miscuerunt inter se prælia venti,

Usq³

Vsque adeo ut, superum praesens nisi cura resistat,
Omnia diripiant, verrantque, ferantque per auras,
Et damno inuoluant sylvas dominosque domosque:
Quid mirum est homines tristes? quibus haecenus omnis
Atra dies, turbata quies, sublata voluptas,
Aspicere ut caeli tandem conuexa pingeret:
Suspendere simul maesta, & sine honore relicta
Pierides cantusque suos, citharasque Vacuna:
Et scissa ingemuit vadens Ecclesia palla:
Nunc vero nunc unda liquet, nunc maximus Albis
Dulce strepit, placidaque iterum sub murmurat urna:
Ac molles circum ripas iterum agmine leni
Lambit, ut arcano testetur gaudia vultu:
Nunc venti posuere, omnisque repente resedit
Impetus, ac mollis terras amplectitur aura:
Cuncta nitent, nunc cuncta vigent, nunc omnia rident
Adventu Dux magne, tuo: vultum omnia mutant:
Omnia leticiam praese iam ferre videntur:
Iam rumpunt sacra diuturna silentia Musa,
Cantandoque tuos Helicon desudat honores,
Latior affulget facies stellantis Olympi:
Gratior exurgens propiori lampade Phœbus
Carpit iter, radiisque orbem vernantibus afflat.
Deponuntque niues sylvae, collesque capillos
Expediunt, renouentque alto de vertice canos:

Herba

Herbarumq; toros instaurat Flora, sinumq;
Terra mouet, rediuiua fouet succumq; ministrat,
Vnde boues repetant & oues alimenta, nouumq;
Carmen aues meditentur, apes sua texa refingant:
Quid mirum est homines latum pœana mouere?
Ergo etiam luctu soluit se Leucoris omni,
Ingenio genioq; litans: Diuumq; secundis
Te mensis adhibens voces ad sidera iactat:

CHRISTIANVS cœlo, Numen FRIDERICVS auito
Nomen habet Numenq; tenet GVLIELMVS in orbe:

Onimium dilecte DEO! cui seruit & ather,
Et formidati dirimunt fera prœlia venti.
Foua pater! (Nam principibus te Numine misces)

Hanc letam lucemq; duci gentiq; piorum
Esse velis: nostrosq; huius meminisse minores.

Responant ripa, responant Albidos vnda,
Et nemorum docilis cantus imitatur imago:

(CHRISTIANVS cœlo DEVS EST FRIDERICVS in orbe):

Onimium Dux care DEO! cui prodigus ather
Paret, ut Æolii frangant sua flamina fratres.

Miratur Genius plausum, miratur OREAS
CANDIDA, cum populos syluasq; audiret ouantes.

Et, quis ait nostris successit mœnibus hospes?

Ut queat aduentu cœli terraq; tumultus
Frangere, & aspectu vel solo Elementa ciere.

B

fn

In sua, vota hominumq³ omnem obtinuisse fauorem,
Et luctus horum, & fluviorum sternere fluctus?

Sis bonus (ô!) felixq³ tuis: Princepsq³ paterq³
Ingredere, & votis vocitari adsuesce tuorum.

Fata dabunt, has sæpè vias, hanc sæpius urbem,

Visere, & hos tractus contingere Numine dextro:

Qua proavis doctis augusta palatia Musis

Struxit, avusq³ tuus vallo & muro oppida cinxit.

Tunc mihi tunc liceat, redimitum tempora lauru

Fre per Aonios colles, mediamq³ per urbem

Herooq³ gradu, grandi³q³ incedere plectro:

Tum cantu ex armare feras, Euros³q³ morari:

Auratoq³ tuum deducere pectine Nomen,

Quod stupeat præsens ætas, stupeantq³ nepotes:

Inuide atq³ tuis me vatem Oeagrius Hemus

Montibus, inuideant nemorosa cacumina Pindi:

Quem, quoties aderis toties (modo fata favebunt)

In laudes GVLIELME tuas oriensq³ cadensq³

Inueniet fidibus Titan citharæq³ vacantem:

Inueniet Phœbe comitata nitentibus astris.

Ingredere, & (quod ritè facis) te iam quoq³ dignum

Finge DEO, facilesq³ DEUS ne sperne Camœnas.

Ingredere, & vobis consensu iuris & equi

Debita, non ullâ seu vi seu fraude petita

Suscipe sceptrâ, libensq³ amplissima regna capesse.

Nam

Nam sat firma tenes tanta fundamina molis:
Et satis apta nouis affers molimina curis.
Ecquid enim Natura animo, fortunave forsue,
Quid superum pater ipse tibi Christusve negaret,
Qui tanto Christi flagras succensus amore?
Nam quantus qualisq; tuo sub pectore regnet
Doctrinae caelestis amor, quae cura sacrorum,
Hoc PIETAS, Castaq; preces, hoc sobria vita
Testatur ratio, Zelusq; & maxumus ardor,
Et studium veri, quo sacra volumina pergis
Nocturna versare manu, versare diurna,
Sapè adhibens patrum commenta probata piorum:
Addunt vim superi, & stimulos quibus acriter ausis
Moliri genio semper suprema fauente:
Et semper magis anniti atq; intendere vireis
Ad diuinum aliquid, laudemq; ambire Deorum,
Ferre iter ad caelum, atq; humiles dediscere terras.

Et quanquam ingenio primis praeclarus ab annis
Sponte tua existens, frugis matura futurae
Indicia edideris, rigido velut ungue Leones
Dant generis dant signa sui: Super omnia menti
Accessit cultura tamen, quae semina caeli
Insita promouit, fouit, promteq; sequentem,
Per suaueis Musarum hortos per amœna vireta,
Nunc Clio, nunc Vranie, nunc Calliopea

Nunc alia monstrante viam, fidoq; Magistro,
Ad Sophiae euexit pulcris conatibus arcem,
Seminatq; ad fructus vita perduxit opimos.
Vsq; adeo, ut quod doctrinam sophiaq; reperta,
Et linguae cultum triplicis, doctasq; Camænas,
Tum gemini studium iuris, Decretaq; Legum
Attinet, haud ulli veterum virtute secundus
Extes, quin potius nemo equiparandus auorum
Jure tibi fuerit: Tantum Ars doctrinaq; pollet.

Credo equidem de te doctum esse Platona locutum,
Cum dixit: Fore tum populos urbesq; beatas,
Cum proceres orbem sapientes, aut sapientum
Qui callent monumenta, regant, gentesq; gubernent.
Contra tota urbes, quanto vis nescia Recti
Stet populis cassiq; animiratione Regentum,
Sapius excisa, tot late exempla ministrant.
Et merito Siculi pœna affecere magistrum,
Qui Phalarin dictis formaret & arte sinistra.

Nec Bacchi te poela unquam fregere, nec vlla
Flecebra Heroum fœdarunt crimine pectus,
Quo minus ingenii docto conamine dotes
Exeruisse queas, terrisq; impune relictis
Astra volare super mentemq; affigere cælo.
Hic ubi tuta quies, tempestas suda, nec atris
Imbricator furit Auster alis, turpèsve phalanges,

Munito

Munito valeant tormenta adhibere decoro.

Et quid nota loquar? testis tua IENA futura est,
Dum sedes istic Musis, dum docta patefcent
Atria: Vbi in magno populo cœtuq; coacto
Aonidum, iam tum primo te flore iuuenta
Vidi oculis, vidi ipse meis atq; auribus hausi,
Magnum animo, promptum ingenio, doctum arte Magi-
Auscultare viros, & responsare palamq; (stra
Differere, & doctis toties contendere dictis.

Salaidum unde parens Academia gratapatrono,
RECTOREM te ritè creans decreuit honores
Supremos: & iura scholæ sanctumq; senatum
Commisit, claueisq; dedit clauumq; regendum:
Fatorum persaga parens, Diuinaq; sortis,
Quam SOL, quam dias venienti lucis in oras,
(Terga premens TAVRI, medioq; in culmine, & almis
Cœli in corde potens radiis, sceptroq; verendus)
Fatali in tabula, fatali munere Diuum,
Decretam tibi concessit propriamq; dicauit:
Vidit & inuidit SOLEMq; polumq; benignum
MERCVRIVS, retroq; ruens vestigia torsit.

Et miramur adhuc? qua nam qua tanta redundet
Dexteritas ab origine: quo sapientia fonte.
Tanta fluat, fatoq; virum PRVDENTIA maior:
Qua fretus preclara patras, culpata relinquis.

Consulis in medium, ut lapsis succurrere rebus
Ipse queas, classemq; equatis ducere vadis:
Consilioq; datis maturo obsistere turbis,
Ne qua vel insanum superent incommoda vulgus,
Musarumve status furis damnisq; feratur
In preceps, aut invidia frangatur honestum.
Hanc stipant reliquæ Divina stirpe sorores,
Et lateri agglomerant Divo, & comitantur euntem
Alma Themis, veriq; amor, & Dea robore prestans:
Maestasq; simul, vigil & custodia sceptri,
Et gravitas, leniq; patens Clementia vultu,
Et splendor circum & felix successus honorum.
Omnia quæ tam docta tenes quam sanguine ab alto
Ducta patrum, quorum virtus & gloria in ipsos
Transcurrit natos: Adeo in te ut sidere puro
Effulgent veterum radii Pietatis anorum,
Ut te quisq; putet delapsum ex aethere Numen.

Maeste tua virtute, pia virtute, pioq;
Maeste animo & studio princeps: sic iuit ad astra
Maiorum series nunquam interrupta tuorum.
Sic proavus dux alme tuus FRIDERICVS honores
Aeternamq; tulit fidei sine labe coronam:
Sic & avus genitorq; tuus patruiq; gemelli
Ire per aethereas sedes adesq; videntur,
Nec secus ac gemini Pollux cum Castore fulgent.

A pro-

*A proavo tu sextus eris, cui formula debet
 Se fidei, AVGVSTAS tandem patefacta sub auras:
 Auspiciis LVTHERE tuis calamisq; PHILIPPI
 Edita, & ulterius spatiosum didita in orbem,
 Quâ gemino omnipatens prodit se terra sub axe,
 Quâ sol undisono nitidum Caput æquore tollit,
 Conditq; Hesperio fessos qua gurgite currus.
 Hanc avus impensa generosi sanguinis, ipsam
 MAVRICIVS Scythiæ terror decoravit: Eandem
 AVGVSTVS pater, Augusti augustissima proles
 CHRISTIADES patrum vestigia sancta secutus
 Afferuit, normamq; dedit Templisq; Scholisq;
 Depositumq; tibi medio in discrimine lethi
 Tradidit, & sanctæ fidei commisit habendam,
 Cum dixit moriens: Habeat nunc ista benignum
 Te frater FRIDERICE etiam GVLIELME patronum:
 Fac ut defendas, quo defendare sub illa,
 Quam contra non lingua valet, non bruta valebunt
 Fulmina pontificum, non si ferro orbis & orcus
 Irruat, & vireis Acherontis & omnia secum
 Monstra ferat, furiasq; omnes Lemuresq; profundos.
 Sic poteris fouæ tibi conciliare favorem,
 Sic poteris sanctos meritis tibi iungere Divos,
 Sic proavos reddesq; patrem; sic mille triumphos,
 Sic totidem lauros totidemq; merebere quercus:*

Sic

Sic decus acquires cunctis memorabile Saeculis.

*Hanc NATIS etiam simili pietate fovendam
Mandavit, qui animo quondam quae maximus alto.
Concepit genitor, populo generiq; piorum
Perficient, patriisq; regent virtutibus orbem.
Fata modo vitam, diue modo pensa trahentes
Ad iustum extendant etatis stamina robur:
Quocis tot felices annos, tot secla precamur,
Aethera quot volucres pennis, quot Et aequora pinnis
Traiiciunt pisces, pelagus quot voluit arenas:
Gargara quot spicas numerant, quot sidera caelo
Nocturnam volitant circum rutilanti Lunam.*

*Salve Teutonia lumen, Numenq; tuorum!
Salve iterum atq; iterum, redeasq; sub aethera sero,
Vnde venis, tardusq; poli laqueata reuise:
Quem male habet, nostri te nondum mittere curam
Ac sibi te reddi sanctisque penatibus optat:
Quos inter vera Pietatis honore coruscus
CHRISTIADES dudum AVGVSTO cum patre recumbit,
Purpureoque tibi Nectar propinat ab ore,
Expectans reducem cognato e sanguine Divum
Indigetem, meritisque grauem, grauidumque triumphis.*



Nh 1235.

000

f

ULB Halle

3

002 819 279



an 31 nur verknüpft JA → OL
f1-5 + 40 Stück
f23

VD 17 ne




...m ... **Das** ...

...m ...

...m ...

de.





^{xv}
Ingressus

WITEBERGAM

ILLVSTRISSIMI PRINCE-
PIS AC DOMINI, DOMINI FRIDE-
RICI GVLIELMI, DVCIS SAXONIAE, &c. Admi-
nistratorisq; Ducatus Septemuiralis, accipiendo
Homagio adornatus. A.D. IV.
Non. Martij.

Et carmine heroico celebratus

ab

ALBERTO VOITO BORVSSO
Poëtica Professore.



WITEBERGAE
Excusus typis Matthæi Velaci.
ANNO q̄b. lb. xciij.

